Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Gräfe

Praecepta Hodegetica De Resolutione Logica Et Dispositione Naturali, in quibus docetur, Quomodo Textus biblici felici progressu logice resolvi & naturaliter disponi possint ac debeant

Lipsiae: Frommann, 1684

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014947685

Druck Freier Zugang





Contenta:

I Grapii Orator Ecclesiasticus.
II Karpzovii Hodegeticum.
III. Præcepta Homiletica.
IV. D. G. F. S. Ea, sine qbus Exercitium Oratorium vix commode suscipi potē.
V Gräffenij Præcepta Hodegetica de Resolutione Logica et Dispositione naāti.

KB NB 0173.1-5

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014947685/phys_0002
Mecklenburg Vorpommern

Gregorius M.

Pensitare debet, quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, ex quantum loquatur; si enim unum horum defuerit, locutio apta non erit.

H: Voss:
Kirch-Megapol:
Aō. 1710. d. 8. octob.
Sed:- 13 gl.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014947685/phys_0003
Mecklenburg Vorpommern

Nr. 94.

Praeparata
Phys.

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014947685/phys_0004
Mecklenburg
Vorpommern

PRÆCEPTA HODEGETICA
De
RESOLUTIONE LOGICA
Et
DISPOSITIONE NATURALI,

in qvibus docetur,

Qvomodo Textus biblici felici progressu logicè resolvi & naturaliter disponi possint ac debeant.

Privatis suis Auditoribus hactenus dictata, nunc verò in eorum commodum typis promulgata, & exemplis illustrata

à

M. JOHANNE Bräsen/
Eccles. Sondersh. Diac.

LIPSIÆ,
Sumpt. GEORG. HEINR. FROMMANNI.
ANNO M. DC. LXXXIV.

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014947685/phys_0005
Mecklenburg Vorpommern

PRÆFATIO
ad
AUDITORES.

LIcet resolutio textuum biblicorum logica è cathedra Ecclesiastica non audiatur, ut secundùm principia logica instituitur, nisi dispositio naturalis publicè sistatur Auditoribus & hæc qvoqve rarissimè tractetur, nec semper formari possit ac debeat ob præcepta hodegetica, contra qvæ peccaret, si audiretur præcipuè in terminis technicis, hôc tamen non obstante præsupponi illa omninò debet à qvovis Oratore, qvotiescunq; textũ Scripturæ S. explicare aut concionem aliqvam elaboratam habere cupit ad populum. Nec est, qvòd qvis sufficere existimet, evolvere Commentarios & Postillatores, ex iisqve materiam amplificandi themata colligere & ordinare, ut componi concio possit: hæc enim spectant ad modum amplificandi, qvi thema qvodam

dam Concionis reqvirit inventum & juxta præcepta disponendi ritè dispositum. Disponere autem thema è textûs sensu aut ad textûs ductum qvomodo qvis potest, qvi sensûs illius non est gnarus? ut enim qvi domum extruere cónatur, locum sciat necesse est & loci longitudinem, latitudinem, nec non domûs extruendæ qvantitatem & qvalitatem, ut possit illius ædificii ideam qvandam formare & in chartam conjicere, qvæ sit instar operis, ad qvam deinde in ædificando semper respicit: ita Orator Ecclesiasticus textum habeat oportet, hujus accuratam cognitionem teneat qvoad sensum, qvi leges bonæ dispositionis non violare cupit. Non dicam qvod ipsimet disponentes de propria inventione judicare neqveant, num sensum textûs tangant, an conseqventiam è textu illatam hac dispositione intendant, qvalem methodum secuti sint. De aliorum dispositionibus multò minùs sententiam veram ferre possunt, sed talpâ, ut ajunt, cœcutiores, ubi ipsi peccaverint, aut alii aberraverint, ubi limites accuratæ dispositionis transgredi, & transgressum præcavêre

cavêre qvilibet posſit ignorant. Imitari ergò coguntur id, qvod non intelligunt, & aliorum diſpoſitiones non intellectas elaborare. Movit hæc intimior Scripturæ S. tractatio viros ſat graves, qvòd integros de interpretandi legitimo modo Scripturam S. tractatus, prolixè conſcriptos, promulgarent, in qvibus ſemina hujus reſolutionis logicæ ſparſerunt qvàmplurima, qvando antecedentia cum textu conferenda eſſe ſvadent, qvando ornatum Rhetoricum removent, & ſenſum textûs ſimplicem, nudum, absqve omni involucro docent, canones removendi hunc ornatum, præſcribunt. Vident enim, qvàm lubricæ ſint omnes in Theologia thetica & polemica probationes dogmatum theologicorum, præcipuè ab Adverſariis allatæ, qvàm frivolæ in homiletica omnes interpretationes, qvæ non ad ſenſum & integrum loci illius Scripturæ ſenſum reſpiciunt & ſcopum illius ob oculos ſemper habent. Scriptura certè non eſt ἰδίας ἐπιλύσεως, nec à voluntate hominis, ſed immediatè à Spiritu S. originem traxit, monente Petro II. Epiſt. c. I, 21. In-

terpretanda ergò est, ut se ipsam in integro codice explicuit, h. e. secundùm analogiam fidei. Minimum est, qvòd in Logicis aliàs de resolutione Orationum tractatur, imò ad usum Logices hæc resolutio remittitur, qvi tamen major est, qvàm qvòd verbis hîc sufficienter describatur. Hoc saltim intendimus, qvid ad resolutionem textuum biblicorum ducat, qvâ mediante ad genuinum Scripturæ sensum pervenire possumus. Proindè qvæ sparsim hinc inde leguntur, ad hanc resolutionem spectantia, collegi & præcepta VOBIS, Vos Dilectissimi, præscripsi, qvibus observatis, omnes Scripturæ textus resolvi possunt & debent. Accipite promptum inserviendi animum, eumqve favore vestrô constanti dignamini. Dab. è Musæo Lipsi. Calend. Junii cIↃ IↃc LXXXII.

Rectè

Tabula totius Disposition is naturalis.

Textus biblici aut sunt in diversis generibus, aut in uno: Si in diversis, fit resolutio & dispositio juxta §. 21. & 22. in

Quot sunt genera, tot sunt partes. §. 21. 22.

- I. Genus Didascalicum. Hoc in species juxta §. 16. ut sunt
  - quot species, tot partes. §. 16.
    - Historica narratio ubi Object. 1. / Object. 2. / Object. 3. hoc in
      - antecedentia, factum ipsum & consequentia.
        - rursus per numerum anteced. & deniq; qvodlibet anteced. in circumstantias. v. §. 6.
        - factum per numerum concomitantium, & rursus in circumstantias.
        - consequentia rursus per numerum, & deinde in circumstantias.
    - Confirmatio: hæc si varia habet objecta, secundum §. 16. fit per numerum objectorum,
      - quot sunt Objecta, tot erunt partes. v. 16.
        - (α) Objectum. Hoc in thesin, deinde qvælibet thesis in circumstantias, qvis, qvid, &c, & argumenta, v. §. 10. qvæ iterum in
          - quot sunt argumenta, tot erunt partes. §. 16.
            - 1.) argumentum & illius
              - denominationem
              - amplificationem
              - illustrationem
              - explicationem
              - probationem

              rursus in circumstantias resolvuntur.
            - 2.) argumentum &c. hoc disponitur ut primum.
        - (β) Objectum, iterum ut primum disponitur in thesin &c.
    - laudatio, hæc species resolvitur ut confirmatio.
  - II. Genus Elenchticum, qvod disponitur ut didasc. in species, qvælibet in Objecta, qvodlibet in thesin & argumenta &c. v. §. 10. 17.
  - III. Genus Pædevticum: hoc in species &c. ut de didasc. & Elencht. genere dictum. v. §. 11. 18.
  - IV. Genus Epanorthoticum, qvod iterum ut Pædevt. disponitur. v. §. 12. 18.
  - V. Genus Consolatorium. Ubi observandum id, qvod de omnibus generibus hactenus dictum est. v. §. 13. 19.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014947685/phys_0011
Mecklenburg Vorpommern



Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014947685/phys_0012
Mecklenburg
Vorpommern

§. 1.

REctè monet *B. Carpzovius in hodegetico suo pag. 8.* qvòd Concionator textum privatâ operâ Logicè resolvere debeat: Est enim hæc resolutio fundamentum totius artis disponendi, adeò, ut qvi textum benè resolvere, eum etiam benè disponere possit. Cùm autem omnis Dispositio sit duplex: alia naturalis, artificialis alia & utraqve occurrat in methodo analytica & synthetica, sciendum primò est, qvid utraqve naturalis sit. Naturalis analytica est, qvæ scopum textûs proponit & eundem ordinem, easdem partes retinet, qvas & qvô ordine resolutio primò eas suppeditat. In Methodo verò synthetica naturalis dispositio est, qvæ Locum Communem seu conclusionem aliqvam perinde, ut aliàs resolutio textûs Logica instituitur, secundùm illam resolutionem componit & tractat. Artificialis verò seu arbitraria est, qvæ partes, sive analysis, sive synthesis fuerit, tractat eô modô, qvem sibi Concionator eligit. Hæc qvomodo rursus subdividatur ex modo variandi constabit. *Vide interim Carpz. add. pag. 66. seqq.*

§. 2. Textum itaqve qvi logicè resolvere cupit, is in scopum illius ante omnia inqvirat, ut cognoscat, an informare, an sententiam fal-

sam refutare, an ad virtutes adhortari & à vitiis dehortari, an vitia corrigere, aut tristes erigere velit Scriptor Θεόπνευς, adeoqve ad qvodnam dicendi genus textûs spectet. Ad scopum enim semper respiciendum est textus, ex qvo genus solùm addiscitur. Jam verò Orator Ecclesiasticus nec plura genera agnoscere potest, qvàm qvæ Scriptura S. recenset, nec numerum hunc contrahere debet, qvia omnes Scripturæ textus ad hæc referri possunt: qvare primò de genere certus esse debet Orator, num unicum, an plura adsint. *Carpzov. hodeg. p. 7. §. 4.* Genera numerantur à B. Carpz. qvinq; l. c. in qvolibet genere seorsim resolutio est instituenda. Singula genera percurremus.

§. 3. Qvod itaqve attinet GENUS DIDASCALICUM, tenendum, scopum esse duplicem, primarium & secundarium: Primarius est, qvi à Scriptore vel Spiritu S. primò & per se in sensu literali intenditur. Primarius iterum duplex est, præsertim in textibus è libris historicis desumtis, tùm ex parte scribentis, ubi scopus perpetuus manet narrare gesta, dicta aut facta, adeoqve hâc ratione textûs ex historicis libris Scripturæ S. omnes essent in genere didascalico, tùm ex parte dicentis. Nam datur Scopus primarius ex parte illius, qvem S. Scriptor ut agentem vel loqventem introducit. Posterior hic scopus si attendatur, non omnes textus è libris historicis erunt in genere didascalico, sed pro variâ intentione in alio atqve alio genere textus erit.

erit. Qvemcunqve autem Concionator velit sequi, perinde est. Potest etiam Concionator secundarium scopum resolvere, qvi vel loco amplificationis vel illustrationis vel probationis adducitur in textu: unô verbô, qvando extra contextum consideratur & resolvitur, sed non nisi summa urgeat necessitas.

§. 4. Cognitô genere, qværenda est ejus species distincta. Hîc memoriâ tenere debet Concionator, qvænam sint in genere didascalico species, qvas *Hülsemannus* recenset *in Orat. Eccl. p. m. 23.* ut sunt: historica narratio, si textus est historicus, confirmatio vel testificatio, si textus est dogmaticus & thesin simul & argumenta continet: asseveratio & demonstratio, si textus dogmaticus continet tantùm Thesin: probatio, si adsunt tantùm argumenta in textu & thesis præcedit. Dei promissio seu vaticinium, si textus est propheticus: descriptio, si textus historicus aut propheticus describit factum, vel etiam qvando virtus aut vitium qvoddam describitur: laudatio, celebratio, prædicatio, qvando vel Deus vel factum qvoddam vel aliud qvid laudatur ac commendatur.

§. 5. Cognitâ specie, qværendum est objectum textûs adæqvatum, de qvonam textus præcipuè agat. Si enim textus est historicus, procul dubio objectum est peculiare qvoddam factum aut res gesta: sin verò est dogmaticus, propheticus, tunc objectum aut est articulus fidei, aut aliqva virtus vel vitium, v. *Hülf. l. c.*

§. 6. Textus in hoc genere sunt duplices, vel DOGMATICI, qvi dogma qvoddam tractant, sive theoreticum sit, sive practicum, ut dicta qvædam Scripturæ vel è libro Scripturæ dogmatico vel historico desumta. Nam etiam in libris historicis dantur breves textus, qvi non ex intentione scribentis, sed dicentis resolvi possunt: aut HISTORICI, qvi historiam qvandam tractant, sive sit præterita, sive certò respectu futura. Posteriores textus primô locô sunt resolvendi, qvi iterum aut unicum objectum adæqvatum habent, aut de pluribus simul agunt: si unicum tractant objectum, adeoqve unicum factum aut rem gestam, inqvirunt in ANTECEDENTIA, FACTUM IPSUM ET CONSEQVENTIA, aut in initium, progressum & deniqve finem. Deinde singula antecedentia sunt separanda à se invicem, ut qvodlibet distinctum appareat. Id qvod observandum, si factum habet plura Concomitantia & Consequentia. Qodlibet antecedens & consequens, aut qvælibet actio rursus resolvitur in partes minùs principales sive circumstantias, qvis, qvid &c.

§. 7. Itaqve probè sunt separandæ illæ actiones antecedentes & consequentes ab ipso primario facto. Postmodum pro inveniendis antecedentibus & consequentibus valet canon: Qvot præcedunt actiones, tot erunt antecedentia & qvot sequuntur factum, tot erunt vicissim consequentia. Hæc qvilibet pro judicio suo discernat. Eôdem modô resolvitur textus propheticus, ubi species fuit vatici-

vaticinium, qvia hiſtoriam ſeu factum qvoddam futurum continet.

§. 8. Textus, qvi diverſas tractant hiſtorias aut diverſas virtutes, reſolvuntur ita: qvælibet hiſtoria aut qvælibet virtus ſeorſim tractatur eô modô ac ſi unica eſſet. Concurrunt & nonnunqvam ſpecies diverſæ unius generis in longioribus textibus, adeoqve ſingulæ ſpecies ſeorſim reſolvendæ ſunt.

§. 9. DOGMATICUS textus, qvi vel articulum fidei vel vitium aut virtutem tractat h. m. reſolvitur. Qværitur 1.) propoſitio ſeu enunciatio aut theſis, in qva articulus fidei vel virtus illa commendatur, aut vitium deſcribitur: hæc deinde theſis reſolvitur in partes circumſtantiales, qvis, qvid &c. ſi prolixa eſt, ſin verò brevis, in ſubjectum, actum, modum & objectum. Theſis autem metaphoricis verbis ſæpè exprimitur in textu, ut & argumenti propoſitio, qvare removendus eſt ornatus Rhetoricus & metaphora, ut ſenſus textûs in verbis propriis appareat. Huc ſpectant ſimilia, qvæ aliàs reſolvi debent in περίστασιν & ἀπόδωσιν, hîc verò ubi theſis occurrit brevis, in circumſtantias reſolvenda ſunt & in propoſitionem logicam redigenda. v. g. Ebr. IX. 13. 14. ubi ἀπόδωσις reſolvitur & περίστασις ad rei modum refertur. Ita locutiones comparativæ ſunt reſolvendæ, v. g. Luc. XVIII. 14. *hic deſcendit*. Ubi objectum ſuperatum cum actu ſuperandi ad modum refertur. Aliàs in Logicis reſolvimus has propo-

propositiones formaliter in duas, postmodum qværimus circumstantias, hic in textibus sacris possumus contenti esse unicâ formali propositione, qvæ tamen, uti dictum, sic resolvi potest. Eadem se res habet cum interrogationibus, exclamationibus & aliis figuris Rhetoricis, semper facienda est propositio Logica, postmodum instituenda analysis circumstantiarum in sensu proprio & logico, aliàs fit confusio circumstantiarum, v.g. I. Joh. II. 22. *qvis est mendax, nisi qvi negat JEsum esse Christum*, propositio Logica est: qvi Jesum negat esse Christum, mendax est. Nunc habet circumstantias legitimas. It. Ps. LV. 7. *qvis dabit mihi alas*, i.e. est aliqvis, qvi mihi det alas. 2.) Qværitur confirmatio hujus propositionis, qvæ fit per argumenta probantia, qvibus illa probatur, si adsunt in textu, qvæ plerumqve indicantur per causalem aliqvam particulam, qvia, enim, nam, qvandoqvidem, ideò, propterea, postqvam, ne, qvò, qvin, &c. Itaqve qværendus est medius terminus in textu, qvi deinde in Syllogismum redigendus est, ut appareat vis concludendi & qvænam propositio in textu sit, num major vel minor & qvæ careat: Qvando ergò in textu major propositio deest, supplenda illa est ex minore & conclusione. Si minor, ex circumstantiis textûs addenda. Si conclusio, ex antecedentibus & conseqventibus eruenda. Occurrit nonnunqvam etiam Syllogismus cryptic-us, qvi peculiarem resolutionem reqvirit, qvam ex Logicis præsuppono. Solet præterea major

vel

vel minor, vel medius terminus amplificari per ulteriorem vel clariorem descriptionem aut digressionem, vel etiam illustrari à simili vel opposito &c. vel etiam integra propositio major vel minor amplificatur per ulteriorem probationem aut digressionem, vel etiam illustratur, id qvod apparet, qvando argumentum textûs in syllogismum redigitur, reliqva enim verba, qvæ supersunt in textu & qvæ syllogismum non ingrediuntur, si non novum argumentum exhibent principale, aut sunt verba amplificantia, aut illustrantia, vel etiam explicantia, qvod occurrit in dispositione: qvælibet verò propositio aut thesis ultimò in circumstantias solvitur. Argumenta hujus generis congessit *Hülf. Orat. c. 3.* & sunt: 1.) à persona & qvalitate illius. 2.) à qvalitate rei. 3.) à fine. 4.) formâ. 5.) tempore. 6.) loco. 7.) effectu. 8.) ab adjunctis, ut sunt necessarium, contingens, utile &c. 9.) à mandato. 10.) ab attributis Dei. 11.) ab eventu vel conseqventibus &c. Si verò argumenta non adsunt in textu; sed saltim propositio, resolutio juxta circumstantias instituitur, id qvod fit in brevioribus textibus. Ubi diversa occurrunt objecta, ibi qvodlibet seorsim resolvitur, ut dictum.

§. 10. Nunc ad GENUS ELENCHTICUM. Hic respiciendum iterum ad speciem. Species autem sunt: accusatio, defensio, exprobratio erroris fidei, expostulatio, refutatio, negatio, maledictio, excommunicatio, v. *Hülf. l. c.* Posteà qvæ-

ren-

rendum est objectum primarium, de qvo disputatur, sive sit personale, sive reale. Nam objectum hujus generis etiam personale dari, exempla §. 17. *infrà* docebunt. Nunc 1.) formanda iterum thesis seu propositio est. Hæc autem est vel falsa, qvæ ab heterodoxo aliqvo docetur: vel orthodoxa, qvæ priori opponitur. Utraqve nonnunqvam in prolixioribus textibus occurrit & falsa & vera, qvare respiciendum, qvid doceant hæ theses, postea resolutio instituenda non aliter ac in genere Did. de propositione dictum est v. §. *præced.* Nonnunqvam etiam tantùm unica adest thesis, qvæ per circumstantias resolvitur, aut etiam planè deest in textu, tunc verò ex antecedentibus repetenda, ut videas posteà emphasin & vim concludendi, negandi, vel probandi in argumentis allatis. Tunc 2.) sumantur argumenta, qvibus vel heterodoxa thesis probatur, aut negatur, vel vera defenditur, eô ordine, qvô collocantur in textu. Eadem hîc observanda, qvæ dicta sunt de argumentis in genere Did. Argumenta hujus generis sunt 1.) à contrario dicto Scripturæ. 2.) à negatione thesews vel totaliter, vel partialiter. 3.) ab ejus inconseqventia, si falsa thesis locum haberet. 4.) ab absurdo seu impossibili. 5.) à blasphemo in Deum & Christum. 6.) à contradictione aut confessione Adversarii. Dispiciendum itaqve ad qvodnam horum argumentorum illud sit referendum, qvod in textu est. Nonnunqvam non unicum objectum; sed plura concurrunt, de qvibus

bus disputatur in textu: tunc verò unumqvodqve objectum resolvendum in propositionem & argumenta, ut cognoscat Orator thesin, qvæ refutatur, & argumenta, qvibus vel negatur vel refutatur.

§. II. Eôdem modô resolvitur GENUS PÆDEVTICUM; cujus species sunt, adhoratio, ejus synonymum esse potest mandatum, svasio, imò etiam petitio, si pædevticè est informata: altera species est dehortatio à vitiis, cujus synonyma sunt, prohibitio, dissvasio. Objectum sunt virtutes, si species est adhortatio: aut vitia, si species est dehortatio. Cognitis his dispiciendum, an unica in textu species sit, sive ambæ, item an unicum adsit objectum illius speciei, an verò plura, qvælibet species & qvodlibet objectum seorsim resolvuntur: Si species erit adhortatio & objectum unicum, formanda 1.) propositio Pæd. qvæ per modum potentialem aut imperativum exprimitur, v.g. sitis sobrii, estote misericordes &c. 2.) hujus propositionis argumenta qværuntur, qvibus utitur persona loqvens: ex argumentis syllogismum compone, ut videas, an major vel minor terminus, vel propositio ulterius in textu amplificetur aut illustretur. Argumenta, si species est adhortatio, sunt 1.) à mandato divino. 2.) ab æqvitate naturali. 3.) à necessitate. 4.) ab honesto seu decenti Christianorum officio. 5.) à gaudio Dei, Angelorum & hominum. 6.) ab utilitate seu præmio. 7.) à facilitate. 8.) ab incommodo

modo si omittatur. 9.) ab exemplo piorum. 10.) ab afflictione eorum, qvi nobis adversantur. Pari ratione procedimus cum vitiis, ubi species est dehortatio, hæc si unicum habet objectum, qværitur propositio, qvæ resolvitur ut propositio in genere Did. qvales sunt v. g. ne sitis solliciti &c. & deinde argumenta, qvæ his sunt contraria & recensentur in §. 12.

Qvando verò plures virtutes aut plura vitia in textu conjunguntur, adeòqve objecta multiplicantur, tunc circa unumqvodqve speciale objectum facienda est thesis specialis vel adhortatoria, vel dehortatoria, deinde argumenta sunt qværenda, qvibus propositio illa probatur.

§. 12. In Genere Epanorthotico qvære iterum speciem, qvalis est vituperium, comminatio, punitio, imprecatio, correctio, pœnæ annunciatio. Objectum sunt vitia tantùm. Nunc ad 1.) propositionem Epan. respiciendum, ubi illa in textu sit, qvales v. g. sunt: Danckestu also deinem GOtt/ꝛc. Wehe denen/die des ꝛc. qvæ resolvitur in partes minùs principales, sicut in genere Did. dictum. 2.) qvære argumenta Epanorth. qvæ in textu sunt, cum qvibus procede, prout de genere Did. & reliqvis est dictum. Argumenta, qvæ in ejusmodi genere Scriptura S. observat, sunt: 1.) ab interdicto divino. 2.) à repugnantia æqvitatis naturalis. 3.) à non necessario. 4.) ab indecoro. 5.) à displicentia Dei, Angelorum & hominum. 6.) ab inutili. 7.) à difficili. 8.) à damno. 9.) à con-

contrariis piorum exemplis. 10.) à gaudio diaboli & malorum angelorum. 11.) à severitate vindicis. 12.) ab æternitate & gravitate pœnæ. 13.) ab absurdo seu blasphemo. 14.) ab injusto. 15.) à contraria utilitate sc. si non fieret.

§. 13. GENUS CONSOLATORIUM deniqve præbet speciem qværendam. Species verò sunt erectio, sympathia, qverela, promissio auxilii, exemplum auxiiii: huc refer etiam vota & preces pro auxilio Dei, in iis enim plus solatii est, qvàm Didascaliæ. Item gratiarum actionem pro impetrato auxilio. Deinde objectum consolatorium qværendum, qvod est homo afflictus aut corporaliter, aut spiritualiter. Hoc nonnunqvam in textu explicitè adest, atqve sic dispiciendum, an tantùm qvoad nomen mentio illius in textu fiat, an etiam qvoad descriptionem statûs & circumstantiarum. Si utrumqve reperitur, dicimus, hoc objectum non modò denominari, verùm etiam describi in textu, ac proinde prima pars resolutionis erit. Qvando verò tantùm qvoad nomen in textu adducitur, tunc nomina illa, per qvæ denominatur objectum, distinctè sunt consideranda, hâc ratione refertur ad propositionem Cons. Inqvirendum nunc est 2. in propositionem consolatoriam, qvæ resolvitur ut didasc. in subjectum & actum, seu in circumstantias minùs principales, deinde in argumenta consolatoria, prout in textu proponuntur. Argumenta hujus generis sunt 1.) à Dei misericordia. 2.) à Christi me-

 rito

rito & interceſſione. 3.) ab aſſiſtentia Spiritûs S. 4.) à Dei providentia. 5.) à communi ſorte omnium piorum. 6.) ab exemplo Chriſti & Apoſtolorum. 7.) ab utilitate afflictionis. 8.) ab ejus brevitate. 9.) à puritate conſcientiæ. 10.) ab auxilio Dei. 11.) à reliqvis attributis Dei ſc. omnipotentiâ, clementiâ, benevolâ voluntate. 12.) ad excellentia futuræ gloriæ. 13.) à neceſſitate crucis. 14.) à præſentia Dei.

§. 14. His præſuppoſitis conſtat, an textus ſit generis mixti, h. e. in pluribus generibus ſimul, an ſimplicis, ſi textus eſt in GENERE SIMPLICI & in aliqvo horum genere tantùm, facilè formari poteſt diſpoſitio naturalis. Nimirum in genere Did. SI TEXTUS EST HISTORICUS aut PROPHETICUS, unicam tractans hiſtoriam, ex ſpecie & objecto fit propoſitio concionis, partes verò principales, qvæ in reſolutione adfuêre, manent ex §. 6. partes verò ſubdiviſæ erunt in qvolibet antecedenti & conſeqventi circumſtantiæ minùs principales, ut §. 8. dictum, ita tamen, ut numerus antecedentium, it. earum actionum, qvæ ad factum ſpectant, & conſeqventium præmittatur.

§. 15. Textus, qvi plures comprehendit hiſtorias diverſas aut plura facta, ut §. 8. dictum, propoſitionis formalia aliter informet. Nempe numericè proponit illas diverſas hiſtorias aut facta, v. g. 2. oder 3. Thaten/ Verrichtungẽ/ Wunderwercke/ additâ in propoſitione ſpecie. Partitio deinde immẽ-

mediata objecta in ſpecie recenſet: mediata verò ſit juxta §. 6. in antecedentia, factũ & conſeqventia. De textibus verò mixtis agetur infra §. 21.

§. 16. Dogmaticum textum in genere Did. ſic diſpone naturaliter. Speciem & objectum textûs adæqvatum conjunge, ſi unicum fuit, ſic habes propoſitionem concionis tuæ, cujus partes principales ſunt 1.) Propoſitio & 2.) argumenta, qvando utrumqve membrum in reſolutione Logica adfuit juxta §. 9. Propoſitio deinde ſubdividitur in ſubjectum, actum & objectum ſeu in circumſtantias. Eôdem modô ſubdividitur unicum textûs argumentum.

Qvando verò in reſolutione tantùm argumenta fuerunt exhibita, concionis propoſitio numerat argumenta Didaſcalica, in diſpoſitione tot erunt partes principales, qvot ſunt argumenta probantia, qvæ Rhetoricè denominantur, ut ſuprà in reſolutione dictum §. 9. In ſubdiviſione deinde attendimus ad argumentum ipſum ſeu denominationem & illius amplificationem & illuſtrationem, vel ad propoſitiones illius argumenti, qvæ in textu ſunt, qvælibet propoſitio deinde alicujus argumenti in circumſtantias ſubdividitur. v. §. 9. Exordium verò à theſi, qvæ præcedit in textu, ſumitur. Uſus homogenei generales ex integro contextu, ſive prioris diſpoſitionis manent. Except. 1

Inveniuntur etiam textûs, qvi tantùm theſin Did. tractant ſine argumentis, ſicut reſolutio o- 2

ſtendit, tunc circumſtantiæ ut partes aliàs minùs principales erunt principales. Theſes verò ſi multiplicantur, partes principales conſtituunt, videndum tamen, qvomodo poſſint in partitione rotundè exprimi. In Genere Elenchtico theſis vera & falſa ſic exprimuntur, eine Entgegenhaltung 2. widerwärtiger Lehren/ deren die 1.) eine falſche/ die 2.) eine wahre iſt.

3 Occurrunt interdum plura objecta didaſc. præter unicum, plures nempe virtutes, qvæ deſcribuntur, plura dogmata, atq; ſic diſpoſitio naturalis aliter inſtituenda. Propoſitio concionis conjungit ſpeciem cum objecto generali, ſi in aliqvo conveniunt & objecta ſpecialia conſtituunt partes principales, in ſingulis deinde ſpecialibus objectis propoſitio & argumenta ſubdiviſionem ingrediuntur, aut circumſtantiæ minùs principales: aut ſi ejusmodi objectum generale non datur, objecta illa per numerum proponuntur, & in partitione deinde in ſpecie recenſentur: membra verò ſubdiviſa ſunt circumſtantiæ, aut propoſitio & argumentum.

4 Textus qui ob nimiam brevitatem unius tantùm tractant argumenti didaſc. amplificationem, aut illius denominationem, illam ut propoſitionem didaſc. ex ſcopo ſecundario & extra contextum diſponunt: cujus ſpecies deinde fit aſſeveratio vel deſcriptio, hæc ſpecies cum objecto conjungitur, fit propoſitio concionis, partitio verò immediata fit in circumſtantias.

Qvan-

Qvando verò argumentum & denominationem & amplificationem vel illustrationem simul habet, tunc commodè in illo genere naturaliter potest disponi, in qvo est ex scopo primario totius contextûs. Propositio fit ein Lehr-Grund oder Beweiß/der 1.) benemet/ 2.) erkläret/ 3.) bewiesen wird. Exordium ex antecedentibus & Usus ex contextu formantur, ut in except. 1. 5

Si plures unius generis concurrunt in uno textu species, ut §. 8. dictum, tunc propositio aut species numericè proponit & deinde in partitione recensèt: aut personam loqventem sistit in diversis actionibus seu speciebus; aut auditores in diversis passionibus, tunc enim species passivè pronunciantur. Manet enim hic canon: Qvot sunt species, tot sunt partes principales, sicuti qvando diversa objecta specialia adsunt, qvot sunt objecta, tot sunt partes. 6

§. 17. In Genere Elenchtico iterum species Elenchtica & objectum constituunt dispositionis propositionem naturalem, qvando unicum est, partes verò principales erunt deinde propositio & argumenta Elenchtica, adeoq; manet integra resolutio logica. Qvando verò objecta illa, de qvibus disputatur, accumulantur, tunc qvot sunt objecta specialia, tot erunt partes principales, in propositione autem si conveniunt in aliqvo generali objecto, species & generale objectum ponuntur, sin illud non datur, per numerum proponuntur. v. except. 3. §. 16. Qvi verò

in hâc multiplicatione constituet partes principales propositionem & argumenta, is invertere cogitur ordinem resolutionis Logicæ. Exemplũ est Joh. VIII. 49. ad fin. it. c. I. 19-28. Ceterum qvæ dicta sunt de genere didasc. in præc. §. applicanda etiam ad Elencht. genus, qvia textus sæpè variant, modò hîc intelligantur de genere Elenchtico.

§. 18. PÆDEVTICUM & EPANORTHOTICUM GENUS conjungunt speciem & objectum, si unicum est in textu, ut inde fiat concionis propositio & deinde thesis Pædeut. vel Epan. cum argumentis constituit partes, adeoqve manet iterum integra analysis ex §. 11.

Except. 1 Qvando objecta multiplicantur & adhortatio fit ad plures virtutes simul, aut dehortatio à pluribus vitiis, aut plura vitia simul corriguntur, videndum an sub aliqvo generali conceptu possint comprehendi, qvi conceptus propositionem concionis constituat. Germanicè plerumqve sic effertur: Eine Vermahnung zu einem Christlichen Leben und Wandel/welcher bestehet in unterschiedenen Tugenden / deren die 1. ist ꝛc. it. eine Abmahnung vom bösen Leben uñ Wandel/der in unterschiedlichen Lastern bestehet/ꝛc. it. eine Warnung oder Straffe des bösen Lebens/darinnen gestrafft wird ꝛc. Seqvuntur nunc objecta in specie: aut qvod melius est, propositio numeret objecta, factâ mentione speciei, eine Vermahnung zu 2. oder 3. Tugenden/ deren die 1. ist ꝛc. vel eine Abmah-

mahnung/ Warnung von 2. 3. Lastern. Partitio iterum recenseat illas virtutes aut vitia. Qvod si objecta illa distincta ita multiplicarentur, ut partes concionis 5. 6. 7. aut plures emergerent, tunc contrahantur in membra pauciora v. g. in præcepta contra Deum, proximum & semetipsum: in affirmantia & negantia: in præcepta primæ & secundæ tabulæ decalogi: vel si scriptor adhortatur vel dehortatur aut corrigit in genere & deinde in specie, retinenda hæc distributio est in partitione, vel applicatur adhortatio, dehortatio, correctio ad 3. status hierarchicos. Illa autem est retinenda divisio, qvæ textûs ordinem non longè distrahit.

Sæpè etiam in textibus Pæd. ambæ species 2
concurrunt, adhortatio nempe & dehortatio, ut in qvibusdam epistolis. Hîc verò planè genus potest proponi in propositione, qvod deinde distribuitur in species, qvarum altera dehortationem, adhortationem altera exprimit: subdivisio deinde qværit argumenta & thesin, utraqve pars ulteriùs in circumstantias dividitur, præmissô tamen numerô propositionum Pædeut. & argumentorum.

Textus, qvi brevis est & vel argumentum tantùm Pædeut. & Epanorth. vel propositionem comprehendit, disponitur non aliter ac textus brevis dogmaticus in §. 16. modò verba illa ad Pædian applicentur.

§. 19. Eôdem modô naturaliter disponitur

GENUS CONSOLATORIUM. Species & objectum conjunguntur in propositione & deinde objectum Consol. propositio & argumenta partitionem constituunt, manente integrâ resolutione ex §. 13.

Except. Si objectum deest in textu, disponitur in thesin & argumenta, manente iterum resolution.

1 Vel si propositio Cons. in textu non est; sed tan-

2 tùm argumenta, tunc argumenta numericè proponantur 2. 3. Trostgründe & recensentur in partitione, ut in genere did. dictum est.

3 Si sola adest propositio Consol. cum objecto, partes sunt: 1.) objectum Cons. & 2.) solatium ipsum, propositio verò manet, ut in initio hujus §. dictum.

§. 20. Hanc propositionem naturalem variamus, qvando in concione proponimus tantùm objectum, ut thema simplex, ita ut species, qvæ hactenus per verbum expressa est, in participium mutetur, ubi tamen manere debent partes superiùs dictæ, aliàs non est amplius naturalis, sed artificialis dispositio. Vel etiam proponimus subjectum agens in casu recto, tanqvam alterum thema simplex, cùm hactenus actus, qvi speciem determinat, in casu recto fuerit collocatus. Et sic habemus tres dispositiones naturales in qvolibet textu, qvarum una actum in casu recto, altera objectum, tertia subjectum sistit, qvæ tamen, qvatenus resolutionem retinent, sunt naturales, qvatenus verò assumunt partes artificiales, spectant

ctant ad modum variandi. In textibus verò hi-
ſtoricis & propheticis thema ſubjecti proponi ne-
qvit ob idiotiſmum.

§. 21. Et hæc de illis textibus, qvi ſunt in gene-
re SIMPLICI: nunc pauca dicemus de illis, qvi
ſunt in GENERE MIXTO, & qvidem qvod re-
ſolutionem concernit, aut ſingula genera diſtin-
ctè & ſeorſim exiſtunt in textu, aut non: ſi diſtin-
ctè exiſtunt, diſtinctè juxta ſingula genera reſo-
lutio inſtituitur, non aliter ac ſi textus eſſet in uni-
co tantùm genere, v. ſup. à §. 3. ad 13. dicta. Qvi
verò textus genera inter ſe miſcent, ut à ſe invi-
cem ſeparari neqveant in textu, illi reſolvuntur
juxta illud Genus, qvod prædominatur in textu
& diſponuntur ut textus in genere ſimplici, de
qvibus hîc nihil novi dicendum.

§. 22. Diſponere itaq; qvi tales textus vult, is
cautè ſe gerere debet, ne textui injuriam inferat.
Qvare ſi diſtincta adſunt genera, contrahenda
ſunt in aliqvem conceptum generalem, qvi con-
cionis propoſitionem ſeu thema faciet: deinde
qvot adſunt diſtincta genera, tot erunt partes in
naturali diſpoſitione principales. Singula dein-
de genera ſua habent membra ſubdiviſa, qvæ in
analyſi erant primaria, v. ſup. reſolut. log. Si
verò tale objectum in textu non apparet, ſed plu-
ra adſunt in textu objecta diſtincta, poterit Con-
cionator pro conceptu communi, qvi propoſi-
tionis locum occupet, proponere actiones ſeu
genera numericè, qvæ in partitione enumeran-

tur: aut personam loqventem in textu, vel ipsum scriptorem textûs loco thematis sistere in diversis actionibus, qvarum prima deinde sit informatio, altera refutatio. Vel potest auditores, ad qvos textus perscriptus est, loco thematis aliqvis proponere, genera verò passivè in partitione exprimuntur.

§. 23. Vidimus textus proprios, ad schematicos pergendum est seu parabolicos, in qvibus parabola qvædam traditur. Videntur hi textus recedere à tradita hactenus resolutione & novam postulare, cùm parabolæ prolixè describantur. Qvare textus schematici sic resolvuntur logicè. Qværitur scopus parabolæ seu allegoriæ, qvi ex applicatione apparet, ut sensus textûs fiat clarus, postmodum parabola illa reqvirit, 1.)Exordium, qvod resolvitur in circumstantias. 2.) Contenta, ubi attendendum ad primarias actiones, qvæ hîc narrantur, qvarum qvælibet resolvitur iterum in circumstantias, si opus est: & deniqve 3.) applicationem. Nunc ad dispositionem naturalem: propositio sistit parabolam de &c. partitio verò retinet membra resolutionis, si omnia adsunt;
Ex. aut deficiente Exordio habet 1.) Sensum mysti-
1 cum seu contenta, & 2.) sensum revelatum seu
2 applicationem. Sola contenta parabolæ textûs loco resolvuntur & disponuntur ut textus histo-
3 ricus. Perinde applicatio tantùm parabolæ disponitur ut textus dogmaticus, vel secundùm scopum dicentis, in qvo est. Parabola qvæ Exordium

ordium & contenta habet, tot partes agnoscit principales: nempe Exord. & content. Et hæc de Resolutione Logicâ ejusqve Dispositione Naturali.

§. 24. Exordium speciale à loco parallelo qvi desiderat, is terminum objecti è dispositione naturali in Concordantiis verbalibus aut realibus evolvat, sic semper Exordium inveniet. Dispositio, qvæ varia genera, varias species, aut varia objecta exhibet, Exordium speciale respuit & ex fontibus generalibus qvoddam Exordium requirit. Nonnunqvam species evolvitur pro inveniendo speciali Exord. ut exempla docebunt.

§. 25. Usus homogenei generales sicut in artificiali dispositione qvando sunt tractandi, ex propositione concionis fluant per applicationem ad auditores, concludendo in didascalia ab hypothesi ad thesin, sic oritur porisma did. vel ab hypothesi ad hypothesin, vel provocando ad libros symbolicos, cum commendatione thematis, sic habes usum did. In textibus propheticis usus loco complementum vaticinii tractari potest. In reliqvis generibus tenendum id, qvod *Hülsf. Orat. Eccles. c. 4. §. 8. sqq. p. m. 38.* monet. Qvando verò plures species, objecta aut epitheta partitionem constituunt, tunc commodiùs erit immiscere usq & speciales tractare. Elenchticus deinde usus tantùm contrarius est Didasc. In Pædeutico usu porisma didasc. est argumentum Pædeuticum, cui jungenda est adhortatio ad officium aliqvod Chri-

Christianorum observandum. Epanorthoticus iterum à contrario sumitur Pæd. Consolatorius iterum porisma didascalicum ut argumentum Consol. agnoscit, ita tamen, ut objectum conveniens ab opposito addatur: qvod tamen si textus est in genere Epan. aut Pædeut. non procedit, ibi enim usus non generalis sed particularis erit, potest & specialis, qvare loco usus Consol. argumentum Pædeuticum ab utili adhibemus, cum qvo etiam concludimus. Particularis applicatio in variatione docebitur, ubi novum variandi modum constituit.

EXEMPLA.

Ut præcepta hæc sint applicabilia, sit exemplum textûs historici Pericopa Evang. Luc. VII, 11.–17.

GEnus causarum qværendum juxta §. 2. qvod constat ex intentione textûs primaria, hæc, ut docet §. 3. duplex est, ex parte scribentis & ex parte dicentis in textu, qvia est historicus textus è libro historico. Scribentis intentio est narrare in hoc toto libro, ergo etiam hujus textûs, & sic est in genere Did. narrare enim est informare. Alia intentio est personæ loqventis Christi, qvi erigit mulierem, condolet, præcipit, sic ergo esset Gene-

Generis mixti, partim in Consolat. partim Pædeut. Observandus nunc scopus ex parte scribentis. Inventô Genere, species qværenda est ex §. 4. applicari autem sic potest tantum historica narratio, qvia textus est historicus. Objectum remotum juxta §.5. est res gesta vel factum qvoddam, proximum est resuscitatio adolescentis Nainitici. Inqvirendum in antecedentia, factum ipsum & conseqventia, ob rationem supra datam ad §. 4. Separandum primò factum ipsum est per præcisionem docente §. 7. & examinandum, in qvibus præcisè verbis textûs consistat illud, an explicitè adsit & qvoad literam & syllabam & in unica actione consistat, an verò implicitè lateat in qvibusdam actionibus, qvæ deinde concomitantia constituunt. Si prius, nulla supererit difficultas: Sin posterius, infra audiemus qvid faciendum. Factum hujus textûs explicitè qvoad sensum literalem adest: v. 14. 15. qvia in iis resuscitatio ut sic consistit, licet ab aliis implicitè inesse credatur. Qvæ nunc ab initio v. 11. seqq. præcedunt, sunt juxta canonem in §.7. qvot præcedunt &c. ANTECEDENTIA. Illa rursus à se invicem separanda erunt.

α) Christi accessus est, hoc antecedens juxta §. 6. resolvitur in circumstantias, ubi 1.) qvis? Er i. e. JEsus. 2.) actus, begab sich/daß er gieng/ 3) terminus ad qvem, in eine Stadt mit Nahmen Nain. 4) qvando? darnach. 5) cum qvo? und seiner Jünger giengen. v. 11.

β) mor-

β)mortui oblatio,ubi iterũ per circumstantias fit resolutio. 1) actus, man trug heraus 2) objectum, wen? einen Todten / qvi describitur qvalis fuerit, ein einiger Sohn / ꝛc. & qvænam mater illius,und sie war ꝛc. 3) tempus,als er nahe hinzu kam 4) cum qvo comitatu? und viel Volcks ꝛc. v. 12.

γ) Christi erectio, ubi 1) qvando? da sie der HErr ꝛc. 2) causa impulsiva, die Ursach/ so ihn bewogen/ es jammerte ihn/ ꝛc. 3) formula, wie richtet er sie auff? er sprach/ weine nicht v. 13.

δ) Loculi tactus, ubi 1) modus, accedendo tetigit 2) objectum, qvid? den Sarg 3) eventus, der Ausgang/ die Träger stunden. v. 13.

FACTUM IPSUM resolvitur immediatè in circumstantias,qvia explicitè adest in textu. Ubi 1) qvis? er 2) actus, sprach 3) formula, mit was Worten? Jüngling/ ꝛc. 4) effectus,die Wirckung/der Todte richtet sich auff. Qvando verò implicitè adesset, consisteret in variis actionibus concomitantibus, qvarum α) esset accessus Christi β) loculi tactus γ) mandatum. Et sic qvidam resolvere solvent factum. Qvot nunc seqvuntur actiones, tot erunt CONSEQVENTIA, qvæ separanda sunt. α) Consequens est loqvela mortui ubi 1) qvis? der Todte? 2) actus fieng an zu reden. β) traditio,hîc 1) actus & 2) objectum,matri. v. 15. γ) populi laus, ubi 1) qvis? alle 2) preiseten / 3) qvem? GOtt. 4) qvibus verbis? es ist ein grosser ꝛc.

5) cau-

5) causa impulsiva die Furcht. v. 16. 6) eventus der Ausgang v. 17.

Factâ resolutione sequitur DISPOSITIO NATURALIS juxta §. 14. qvia est textus Generis simplicis & historicus, unum tractans objectum adæqvatum, ut resolutio docuit. Propositio fit ex specie & objecto. Lucæ Beschreibung von der Auferweckung des Jünglings zu Nain. Partitio exprimit antecedentia, factum & consequentia. Ubi

1. Was fürher gegangen.
2. Wie sie geschehen.
3. Was darauf erfolget sey.

Subdivisio 1. membri fit in numerum antecedentium & deniqve in circumstantias. Factum in circumstantias &c. ut ex tab. videre licet.

Hactenus thema compositum ex subjecto & prædicato, ubi tamen verbum beschreiben it. auferwecken in nomen mutatur. Variari potest dispositio per thema simplex Objecti juxta §. 20.

Die beschriebene Auferweckung des Jünglings zu Nain

1) mit dem jenigen was fürhergegangen
2) wie sie geschehen
3) mit dem was drauf erfolget.

Cetera manent. Thema subjecti proponi nequit, qvia est textus historicus. v. §. 20.

Ad Exordium inveniendum juxta §. 24. evolvitur in Concordantiis terminus Auferweckung

vel

vel ejus conjugatum, habetur locus parallelus qvo ad nomen tantùm. Act. II. 32. Thesis Exordialis Christus ist vom Tode aufferwecket. Transitio. Ehe solches geschehen/ hat er andern selbst solche Gnade wiederfahren lassen/ und sie vom Tode aufferwecket/ das sehen wir in unserm Text.

Locus parallelus qvoad nomen & rem simul, it. qvoad rem tantùm non datur, qvia est textus historicus.

Porisma Didascalicum juxta §. 25. è textu historico ducitur, concludendo ab hypothesi ad thesin, seu ad speciem, à specie ad Genus & qvidem ex propositione Concionis, ut sit Usus homogeneus generalis. Propositio ergo medius terminus est, qvæ si cum conclusione Did. conjungitur, constituit majorem. Hæc qvando instantiam non admittit, vera est indeqve vera Cõclusio Did. seu Porisma Did. Ubi tamẽ notandum, qvod Concionis propositio absolutè posita absqve partitione rarò immediatè conclusionem Did. efficiat, qvare circumscribenda illa est ex partitione sive ex circumstantia qvadam adæqvata, videl. subjecti, vel objecti, vel actûs aut modi occasione textûs. v. g. occasione Christi suscitantis, qvi describitur ut persona misericors, didascalia concludi posset E. läst Christus sich die Todesnoth zu Hertzen gehen/ die die Frommen ausstehen müssen. Occasione objecti adolescentis, qvi describitur ut filius, concludere possum. E. müssen

auch

auch Kinder sterben und junge Leute. Ratione actus & illius modi impræsentiarum deduco porisma, qvia secundum suam potentiam divinam sic fecit Christus. E. ist Christus ein solcher Mañ/ der Todte auferwecken kan/ qvia exemplum hujus potentiæ habemus. Huic opponitur antithesis, si datur, habemus usum Elencht. Contra Calvinianos, qvi hanc Christo denegant. Pædeuticus exhibet nostrum debitum circa hanc doctrinam seu potentiam, qvæ est: Non timeamus mortem, ratio è Didascalia est, qvia Christus suscitare potest è morte. Epanorthoticus opponitur Pæd. & fit contra timentes mortem. Consolatorius è Didas. rursus fluere debet. Opponatur Didascaliæ oppositum quoddam h. l. privativum. Kommen wir in den Tod/ nunc Didascalia erit solatium solidum: Christus kan wieder auffer-wecken vom Tode. Qvi sic è propositione extrahit Didascalian, & è Didascalia reliqva genera, non peccabit.

Ad illustrandam exceptionem in §. 8. & 15. fingendum est, textum exhibere diversa objecta seu varias historias v. g. Si qvis ex ignorantia statueret, primam historiam esse mortui oblationem: Secundam excitationem filii; sic qvælibet historia seorsim resolvenda est juxta §. 8. Dispositio verò docente §. 15. esset: Lucæ Historische Beschreibung zweyer Verrichtungen deren die

1) ist des Todten Austragen/
2) dessen Aufferweckung.

I) Subdividendum in *antecedens*, qvod est Christi accessus, cujus circumstantiæ in prima resolutione fuêre adductæ, & *factum ipsum*. Circumstantias vid. supra in resolut. p. 30.

II) Dividendum in factum & Conseqventia. Factum in concomitantes actiones, ut sunt: Dolor, erectio, accessus, tactus, mandatum. Conseqventia sunt, locutio, traditio matri facta, timor & laus. Circumstantiæ peti possunt ex resolutione.

Exordium vi §. 24. generale esset, propter canonem: *Dispositio, qvæ* &c: Usus miscentur ob canonem in §. 20. datum.

Pari ratione resolvuntur & disponuntur textus prophetici, qvi vaticinium qvoddam in se continent, v. §. 7. monitorum & §. 14. Hoc peculiare erit in his textibus, qvod nonnunqvam antecedentium loco verba qvædam in textu sint, qvæ ad aliud genus causarum referuntur, nec præcisè ad vaticinium ut sic spectant; sed tantum ad textum, qvi sic traditur aut eligitur. v. g. Esa. XL, 1. tunc malè ejusmodi verba antecedentia esse dicimus, qvia nihil participant de facto illo, qvod ut futurum prædicitur, ad vaticinium v. se se habent, ut antecedentia, qvia tempore priora sunt, & prius dicta & concepta, qvam ipsum vaticinium cum suo objecto & hujus antecedentibus &c: Rectius ergo dicimus, ejusmodi verba Exordium esse, qvod in resolutione facti antecedentis

tis prima circumstantia est, cui respondet alterum membrum, contenta.

Qvoad Elocutionem Dispositionis naturalis notanda sunt hæc formalia: partitio enim sic exprimitur was

1) vorher gehen/
2) wie es geschehen/
3) was darauff erfolgen soll/

ad differentiam textûs historici, in qvo factum præteritum narratur.

Textus Dogmaticus.

1. Thess. II. 1.-8.

HAbuimus hactenus historicum textum Generis Did. seqvitur nunc textus dogmaticus ejusdem generis. Qvanqvam hoc certissimum est, qvòd in reliqvis Generibus causarum semper dogmatici textus occurrant, sive loqvantur in thesi, sive in hypothesi aut individuo. Species propositi textus est Confirmatio vel testificatio, juxta §. 4. objectum Pauli παῤῥησία in concionando vel prædicandi Evangelium apud Thessalonicenses. Et hoc proximum est objectum, qvod non nisi ex contextu, aut Commentariis apparet, remotum v. juxta §. 5. est articulus fidei vel aliqva virtus. Applicandus nunc est §. 9. & qværenda primùm thesis Did. illa est in v. 1. 2. nam particula διαπελικὴ, γὰρ causalis, dirimit thesin & argumenta, ut docet §. 9. hujus

rei veritas manifestabitur, qvando infra Syllogismum audiemus. Nullus in thesi apparet ornatus Rhetoricus, qvi obstaret resolutioni, & qvi removendus prius esset, ipsam ergo resolutionem thesεως in circumstantias suscipimus. Præmittit benevolentiæ captationem Paulus v. 1. à fructu prædicationis Evangelii, qvòd ea in primo adventu non fuerit frustranea, & hæc est α) circumstantia, qvæ vocatur Exordium, nec indiget ulteriori resolutione, nisi in amplificatione. Huic opponitur β) circumstantia, nempe contenta in v. 2. Minores circumstantiæ esse possunt ℵ) modus, wir waren freudig in unserm GOtt/ ב) objectum, wozu? Zu sagen das Evangelium ג) tempus, wenn? als wir zuvor gelitten hatten/wie ihr wisset. Argumenta seqvi v. 3. supra diximus, patet hoc ex particulæ γὰρ cognitione, qvæ, licet non semper sit causalis (habet enim & alias significationes plures,) ut plurimum tamen & aliqvale est signum causæ seu argumenti. Qvi pleniorem certitudinem postulat, is verba, post hanc particulam posita, in Syllogismum redigat, ita docebit cujuscunqve judicium, an probatio sit in illis verbis nec ne, qvando nempe nulla est conclusio in Majori, argumentum qvoqvé non seqvitur. Nunc ob oculos semper ponenda est thesis, qvæ conclusionem constituit, sic examen probationis seqventis suscipi potest, in argumentis autem inveniendis qværimus medium terminum, qvi thesin sive conclusionem probat, iste hic est: qvia probati

bati sumus inventi ad prædicandum Evangelium & fideles in hoc munere obeundo. Hinc Syllogismus talis nascitur: *Qvicunq; probati inventi sunt ad prædicandum Evangelium & fideles, illi etiam cum παῤῥησία loqvi possunt. Atqvi ego Paulus* &c. E. Minor est in textu qvoad denominationem, in v. 4. resolvitur nunc in circumstantias, ubi α) actus, wir reden/ β) modus, als die von Gott bewert sind/ und denen vertrauet ist das Evangelium zu predigen/ γ) causa finalis, nicht Menschen/ sondern GOtt zu gefallen. Hæc minor illustratur à contrario, qvod apparet, qvia verba in v. 3. non erant in syllogismo posita, recte proinde dico, qvòd sint vel probantia, vel amplificantia, vel illustrantia. Ultimum locum habet, qvia contraria illustrant, ut notum est. Eodem modo resolvitur illustratio in circumstantias, ubi 1) subjectum, unsere Ermahnung/ 2) prædicatum, ist nicht irrig gewesen/ noch unrein oder böse/ noch listig.

Novum argumentum addit Apostolus v. 5. 6. 7. *Qvicunq; animô maternô seu placidô affectus est erga vos, ille cum παῤῥησία ad vos loqvi potuit. Ego, inqvit Paulus* &c. E. Minor habetur v. 7. qvoad thesin positivam, ubi α) actus, wir waren Mütterlich β) objectum, bey euch. Theses negativæ v. 5. 6. illustrationem constituere possunt: prima thesis habet actum, wir sind nicht umgegangen & objectum, mit schmeichelworten/ noch mit Geitz/ eventum, wie ihr wisset und Gott mein Zeuge ist. Altera thesis iterum habet actum, haben

nicht Ehre gesucht / objectum, von Leuten / weder von euch &c. Tertia thesis implicitè adest in v. 7. qvæ tamen circumstantias non admittit, qvia brevis est. Illustratur hoc argumentum qvoad Minorem à simili, petito à matre seu nutrice. In omni autem simili notatur α) προτασις wie eine Amme &c. v. 7. β) ἀποδωσις, also hatten wir &c. v. 8. Argumenta hæc Did. ad certam sedem referenda sunt, utrumq; spectat ad qvalitatem personæ & qvidem agentis vel prædicantis.

